

Dum benediceret illis, ferebatur in cælum.

✠ Conclusio sancti Evangélii
secúndum Lucam

24, 46-53

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

- ⁴⁶ «**S**ic scriptum est,
Christum pati
et resúrgere a mórtuis die tértia,
⁴⁷ et prædicári in nómine eius pæniténtiam
in remissionem peccatórum
in omnes gentes,
incipiéntibus ab Ierúsalem.
⁴⁸ Vos estis testes horum.
⁴⁹ Et ecce ego mitto promíssum Patris mei in vos;
vos autem sedéte in civitáte,
quoadúsque induámini virtútem ex alto».
- ⁵⁰ Edúxit autem eos foras usque in Bethániam
et, elevátis mánibus suis, benedíxit eis.
⁵¹ Et factum est dum benedíceret illis,
recéssit ab eis et ferebátur in cælum.
⁵² Et ipsi adoravérunt eum
et regréssi sunt in Ierúsalem cum gáudio magno
⁵³ et erant semper in templo benedicéntes Deum.
- Verbum Dómini.